



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Exercitium Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Domine ꝑ̄ uis potes me munda
Matth. 8.

*Si tantum tetigero simbriam uestimen-
ti eius, salva ero. Matth. 9.*

Ecce Domine quem amas infirmata
Joan. II.

I. *Exercitium Fidei.*

O JESU! Veritas & vita: fide firmo
credo in hoc admirabili Sacramento, quod modò suscipere intimè desidero, re ipsa esse Divinitatem tuam, cum Potentia, Sapientia, & Bonitate infinita. Credo istic verè præsentem esse sacratissimam Humanitatem tuam, cum omni suâ perfectione, & sanctitate, animam cum parentibus, cum membris corpus tuum verum & vivum, integrum & gloriosum & hoc ipsum credo, quia tu summa Veritas, & summa Veracitas dixisti: *Hoc est Corpus meum.* Matth. 26.

Credo itaque de hoc mysterio, o Salvator mi! humiliter & simpliciter, quod quid tu nobis revelasti, & per Ecclesiam tuam credendum proposuisti. Credo idcirco illud, quod creditum & prædicatum

à duodecim Apostolis. Credo idem quod creditum & conscriptum est à quatuor Evangelistis. Credo idem quod creditum & doctum est ultra mille & sexcentos annos à sanctis Patribus & Ecclesiæ tuæ Doctoribus. Credo idem quod creditum & sanguine confirmatum est ab innumeris tuis sanctis Martyribus. Credo denique idem quod testatum, comprobatumque est à tua Omnipotentia tot miraculis prodigiis & signis.

Fallant igitur, & fallantur sensus, quod frequens est; obstrepant & blasphement Hæretici, quod detestandum est; scandalizentur cum Capharnaitis Gentiles & Judæi, quod deplorandum est: Ego tamen credo infallibilibus verbis tuis, O Jesu, quia tu dixisti, qui nec falli potes, nec fallere, utpote æterna Patris Sapientia, & prima veritas. Credo, Credo, Credo, quidquid dixit Dei Filius; nil hoc verbo Veritatis verius.

Accede igitur anima mea infirma: Ecce hic in Venerabili Sacramento præsens est Salvator & Medicus animarum, qui in momento omnes spirituales morbos,

K 6

quan-

quantumcunque tenaces radicitus depellere novit & curare, de quo olim virtus exhibat, & qui pertransendo sanabat omnes. Crede, tange, sume, & habebis.

II. Exercitium Spei & Fidei.

Magna fuit Charitas Reginae Angliae, quae Conjugi suo Eduardo venenosa sagittâ sauciato, venenum exfluxit è ventre, Regi sanitatem, sibi mortem accersens. At quantum major tua, mihi Jesu nos charitas effulget? ut nos vivere tu moreris; ut nos sanaremur, tu immaris, ut septem capitalibus animae nostrae vulneribus medereris, innumeraque vulnera & pretiosissima septem balneis sanguinis tui adornas in antidota. Eademque in Sacramento reponis, ut ad ea medicamenta indies accederemus.

Accedo igitur cum firma spe & fiducia nihil haesitans: si enim totum corpus tuum & sanguinem in passione, tanto cum dolore & ignominia dedisti in lytrum redemptionem nostram: quid ni eadem dabis cum amore & benevolentia in medium nostrum & medicamentum